ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

N. viro Constantino Hugenio
C. Barlæus S.P.D.

Sequor applausu victoriam Nobiliss. Hugeni, et quà praeit fortiter agendo Auriacus, subeo pone encomiastes. Victoriam captæ Vesaliæ, summo patriæ discrimine, nobis indulsit Deus Opt. Max. sed planè, ὡς ἐκ μηχανῆς. Errorem aut negligentiam nostrorum correxit maior hostium error. Discimus utrinque, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, et parvis momentis in bello magnos casus intercedere. Epinicium hoc pari me celeritate credas scripsisse, quâ Vesaliam cepimus. Nec patiebatur praeceps gaudium, ut aut prolixius scriberem, aut elaboratius. Et quia vis, ut compotem te eorum faciam, quæ scripturienti calamo excidunt, audeo et hoc opusculum calida incude properatum iudicio tuo submittere. Habent tibicines in tibiarum inflatione suum ἐνδόσιμον, et proœmium suum oratores. Forte & hæc maioris triumphi, quem votis omnes præcipimus, præludia erunt. Exemplaria ijs distribue, quos iudicabis à patria, à studijs, à me minime aversos. Vale vir maxime, & Martios cantus, si istic licet, Apollinaris dilue. Lugd. Bat. III Non. Sept. CIↃIↃCXXIX.

Aen mijn Heer
mijn Heer
Constantinus Huijghens
Ridder ende Secretaris van
sijn Ex:e Orangien

Hug. 37.

Fore
6. Aug. 29.

Int leger int
sPrincen quartier

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 37
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/465